SEnatus Edinburgenus, Academiæ Iac. Regis author, fundator, & fautor, omnibus liberalium artium ſtudioſis edictum vult; locum ordinarii Philoſophiæ profeſſoris, ſeu Regentis, in Academia ſua jam vacare: ideoq; invitat omnes, qui provinciam ambiunt docendi Philoſophiam, ut Kal. IXbris adſint in publico Academiæ auditorio, ut ibi nomina profiteantur, audiantque de præſcribendo themate, & præſtituendo tempore, in quibus coram idoneis judicibus periculum doctrinæ facturi ſint. Spondet vero Senatus, eum, qui, ſpecimine dato, ſe ſuamque eruditionem judicibus maxime approbaverit, in vacantē Regentis locum ſufficiendum certo.